

Pontifices; et rursus innumeras leges a Jure canonico mutuatum est Jus civile, eas præsertim quæ spectant ad tribunalium normam (1).

## ARTICULUS III.

## DIVISIO JURIS CANONICI.

Juris Canonici multiplex divisio.

I. Ratione eorum qui obligantur, distinguitur in *commune* et *proprium*. Commune jus illud est, quod in universa catholica Ecclesia vigere præsumitur, pariterque omnes obligat, nisi fortè aliqui speciali privilegio gaudeant.—Proprium, seu *particulare* est illud quo regitur aliqua portio Ecclesiæ; v. g. hæc vel illa diæcesis; tale institutum religiosum ab Ecclesia ritè approbatum. Nonnunquam unius regionis et nationis omnes diæceses eodem usus, easdem consuetudines sequuntur; hinc Jus canonicum *Nationale*, ut *Gallicum, Hispanicum, Mexicanum*, etc.

II. Ratione temporis quo vigere cœpit, distinguitur in jus *antiquum*, et *novum*. At non satis concordant auctores circa epocham in qua jus *novum* incepit; juxta quosdam ejus exordia ad nonum circiter sæculum referenda sunt; juxta cæteros verò ad illa tempora restringi debet *juris novi* acceptio, quæ Concilium Tridentium secuta sunt; eoque sensu nos eam vocem accipiemus.

III. Ratione negotiorum diversi generis, Jus canonicum aliud est *publicum*, quod scilicet spectat directè ad gubernationem Ecclesiarum et negotia communia, ut sunt jura et officia pastorum, et *privatum*, quod versatur circa negotia singulorum, obligationes fidelium vel aliorum, quando seorsum, non collectivè considerantur (2).

Diversas canonici Juris materias in tres ordines vulgò distribuunt canonum interpretes, *Personas, Res, et Judicia*. I. Personarum expenduntur varia officia, jura, itemque obligationes. II. Rerum nomine hic intelliguntur tum actiones sacræ cujuscumque generis, quæ non sunt merè internæ, et quæ bonum spiritale fidelium directè respiciunt, ut sacramenta, sacrificium, benedictiones, officia, festa, etc., tum etiam bona terrestria et temporalia quæ Deo sunt dicata et bono spiritali inserviunt. III. Judiciorum discussio comprehendit tribunalium Ecclesiasticorum competentiam et agendi rationem, delicta quæ speciatim juxta leges Ecclesiasticas coerceri debent, et pœnas diversas quæ possunt infligi. Juxta receptum hunc morem, nostræ Institutiones in tres partes dividuntur (3).

## CAPUT QUARTUM.

## DE FONTIBUS JURIS ECCLESIASTICI.

☞ Nihil solidiùs perpendendum offerri oportet studiosis canonicarum legum, quàm canonum genuinos fontes, cum satis clarum sit maximam scriptorum partem qui splendidam juris ecclesiastici scientiam, suis cupiditatibus et opinionibus adherentes, densissimis umbris obruere, nihil vel parùm valdè assequi potuisse, nisi priùs totis artium sophisticarum viribus innixi, puriores canonum fontes misserrimè corrumpere illi maximè fuisse gratum. Exindè laudabiles magistrum con-

(1) Qui voluerit plura videre de consonantia aut discrepantia Juris canonici cum civili, consulat Gibert. Corpus juris. prolegomen. p. 369.

(2) ☞ Maxima pars horum prolegomenorum ad jus publicum Ecclesiæ pertinet, et ex Juris ecclesiastici publici elementis a D. Zallinger conscriptis, ut visum est, a nobis desumpta fuit. ☞

(3) Vide notam VII ad prolegomena.

natus et Sanctæ Matris Ecclesiæ indefessi labores, vindicandi causa leges canonicas ab omnibus sophistarum paralogismis, ab omnibus pseudopolithicorum tentaminibus, ab omnibus denique regum ipsorum cupiditatibus. Vix in hac perdifficili amplissimaque scientia pars inveniretur dignior altiori studio, labiliorque in societati et sanæ doctrinæ periculis imminentibus. Dictum confidimus excussatos nos habebit coram Juris canonici professoribus, si quam plurimè intenti in præcipuas ætatis nostræ necessitates, longiorem sermonem, quam ut prolegomena postulent, habeamus, doctrinam proficientes quam hauriendam suis celebrioribus libros clarissimi jureconsulti reliquere. Duæ autem seorsim inspicenda videntur cum de Juris canonici fontibus verbum instituitur; principia nempe atque historiam eorundem. Ea de re duabus partibus divisum presens caput absolvemus, quarum prius de simplici juris canonici fontium expositione, secunda verò de ipsorum historia, doctrinam seligentes ex quatuor orbi notissimis scriptoribus, Selvagio, Zallinger, Walter et Lequeux. ☞

## DE FONTIBUS JURIS ECCLESIASTICI.

## PARS PRIMA.

## Observationes prævia (1).

Fons et origo *juris Canonici*, prout illud accepimus, est suprema potestas in primis Ecclesiæ pastoribus permanens, vi cujus possunt ea omnia decernere, quæ ad rectam administrationem pertinent: de qua potestate breviter sequentia axiomata statuemus, quorum probationes in tractatibus theologicis vulgò reperiuntur, ideoque a nobis paucissimæ numero sunt afferendæ (2).

I. Constat in Ecclesia Catholica a Christo fuisse institutum regimen et imperium, quo servaretur membrorum unitas in uno corpore, et quo provideretur bono spiritali tum corporis universi, tum singulorum membrorum.

II. Constat illud regimen seu imperium complecti facultatem decernendi leges circa actus externos, et etiam circa actus partim internos et partim externos, qui ad bonum spirituale directè referuntur. Constat his legibus teneri fidelium conscientiam:—imò non destituitur illa legislativa potestas mediis urgendi contumaces per pœnas spirituales, privatione scilicet bonorum spiritualium. Propositiones his veritatibus contrarias confixit Pius VI in Bulla solemnè *Auctorem fidei*. (Bulla dirigebatur in acta Synodi diæcesanæ Pistois habitæ anno 1781 ab episcopo Ricci, et ideo opportuniùs a nobis afferri potest, quod recentes errores configat). Sic habet n. IV. “Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transfereudo illam ultra limites Doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde; tum etiam multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis*;—quatenus indeterminatis illis verbis; *extendendo ad res exteriores*, notet “velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi “sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda,—hæretica.—Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis

(1) ☞ Ex Manuale compendio Juris canonici D. Lequeux desumptæ. ☞

(2) ☞ Ita Lequeux: sed nos minimè jureconsultos principia scientiæ canonicæ satis demonstrandi munere exonerantes, oportune præmissimus sequentium axiomatum ecclesiastici juris fundamenta, nexum et relationes in cap. I. et II. horum prolegomenorum. Ad hæc igitur prædicta axiomata quæ subsequuntur sunt passim referenda. ☞

“decretis exigendæ aliter quàm per media quæ pendent a persuasione;—quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilium et suasionem, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi—inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.”

III. Constat item illam Ecclesiæ potestatem legislativam ita esse in suo genere supremam, ut a principe temporali non pendeat, sed Deo soli sit subjecta. “In illis igitur quæ non solum ad fidem et sacramenta, sed ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, potestas ecclesiastica pleno jure decernit, sine concursu potestatis civilis. Ratione tamen mutue protectionis, quam sibi invicem debent, ad potestatem civilem spectat, juxta mentem Ecclesiæ et quantum ipsa optat, ejus canones protegere et exequendos curare per media temporalia (1).”

Innumera sophismata, quibus adeo certa et necessaria principia obscurare tentaverunt neoterici auctores, refellere non est præsentis operis. Nobis hic afferre sufficiat sequens iudicium Facultatis Parisiensis, quod Pius VI, in celebri circa cleri constitutionem civilem Brevi, cum laude citat et approbat. “Ut de disciplina agamus, inquit Pontifex, quis unquam est inter Catholicos qui affirmet ecclesiasticam disciplinam immutari a laicis posse? . . . Cum anno 1560 Facultas Parisiensis ad examen adduxisset ea quæ Franciscus Grimaldet, Advocatus Regius, retulerat ad conventum, seu Status apud Andegavenses collectos; inter multas propositiones ab ipsa reprobatae, sequens etiam reperitur.—Le second point de la religion est en la police et discipline sacerdotale, sur lequel les rois et les princes chrétiens ont puissance d’icelle dresser, mettre en ordre, et réformer icelle corrompue. Hæc propositio est falsa; schismatica, potestatis ecclesiasticæ enervativa, et hæretica; et probationes ad illam sunt impertinentes.” (Pius VI. Brevi ad cardin. Rupefucaldium. 10 Mart. 1791.)

IV. Nec minus certum est hæc Ecclesiæ potestatem legislativam ita residere in pastoribus, ut neque ad eos per fideles perveniat, neque ab istorum consensu pendeat in suo exercitio. Errores oppositos frequenter Ecclesia damnavit in Marsilio, Lutero, Richerio; et circa finem ultimi seculi, eosdem in synodo Pistoriana renovatos confixit Pius VI, in Bulla. Auctorem fidei sic enim habet, n. II. “Propositio quæ statuit potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;—Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas—hæretica: Et n. III. Insuper quæ statuit Romanum Pontificem esse caput ministeriale,—sic explicata, ut Romanus Pontifex, non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiæ caput, pollet in Ecclesia;—hæretica.”

V. Nec in ipsis secundi ordinis sacerdotibus residet potestas legislativa, nec ab eorum consensu vim suam accipiunt primorum pastorum decreta. Sufficiat idem decretum Auctorem fidei rursus appellare. N. 18. “Doctrina quæ statuit reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam Synodis diœcesanis

(1) Hæc verba, quibus lucidè vera doctrina exponitur, exscribimus e retractatione solenni, qua Nicolaus de Hontheim, Episcopus Meriophitensis, errores circa potestatem Ecclesiæ, a seipso professos in libro cui titulus: *Justinus Febronius*, sejuravit. Legendi de eodem argumento, Fenelonii sermo insignis in consecratione Episcopi Coloniensis.—Bossuet, Politique sacrée, lib. VII, art. V, prop. 2.—Fleury, Institution au droit ecclesiastique, part. II, cap. I.—Regnier, de Ecclesia, tom. II, p. 237.—Pey, Autorité des deux puissances, etc.

“ab episcopo et parochis æqualiter pendere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum, falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regimialis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianae a Calvino innovatæ.”

Ne quidem in his quæ ipsorum curæ committuntur, pastores secundi ordinis, leges ferre valent. Carent enim ea jurisdictione coercitiva, seu coactiva, quæ requiritur in legislatore; pœnas decernere non valent; communitas, cui præsidet, est imperfecta, quia per se sibi non sufficit ad finem suum consequendum, et indiget immediata gubernatione superioris; quæ omnia patebunt ex dicendis circa varios gradus jurisdictionis.

VI. Constat e contra Pontificem Romanum, vi primatus ab ipso Christo instituti, posse sancire leges, quæ omnes ubique Christianos obligent. Si quidem certa fide credendum est, eum esse verum Christi vicarium; totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem et doctorem; et ipsi in Beato Petro pascenti, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse. Verba sunt Concilii Florentini. Eamque potestatem legislativam a primis sæculis exercuisse Romanos Pontifices satis demonstrat jus Canonicum, quod e decretis eorumdem fere in integrum coalescit.

VII. Pariter tenendum est, unumquemque episcopum in sua diœcesi potestatem legislativam habere. “Sacrosancta Synodus declarat (ait Concil. Trid. Sess. XXIII, c. 4.): Episcopos qui in Apostolorum gradum successerunt, ad hierarchicum ordinem præcipuè pertinere; et positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse.” Satis etiam superque hanc veritatem usus confirmat perpetuus totius Ecclesiæ.

VIII. Quinimò jus illud episcopi, non solum in sua quisque diœcesi, sed interdum erga universam Ecclesiam, et respective erga partem Ecclesiæ notabilem exercent, quando nempe, in conciliis generalibus vel provincialibus ad condendas disciplinæ leges concurrunt: quod fluit ab ea prærogativa, qua, ut iudices et doctores fidei, totius Ecclesiæ bono invigilare debent. Nam, ut optimè dixit S. Cyprianus: “Etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas Christus sanguine suo quæsivit, colligere debemus.” (Epist. 68.)

IX. Negari quoque non potest vis consuetudinis. “In his rebus de quibus nihil certè statuit Divina Scriptura, mos populi et instituta majorum pro lege tenenda sunt; et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.” (Ita ex S. August. Jus canon. dist. XI, c. 7.) At vero hæc vis consuetudinis non aliunde emanat, ut observat Bened. XIV. (de Synodo, lib. XII, c. 8.) quam ex consensu primorum Ecclesiæ pastorum qui personaliter et expressè consentiunt, vel generaliter per regulas in jure expositas consenserunt.

X. Qui possunt leges instituere et sancire, possunt etiam, pro circumstantiarum varietate, easdem immutare et abrogare. Nam secundum regulam juris, omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. (Decret. lib. V, tit. 41.)

Fontes igitur proximi et propriè dicti juris ecclesiastici sunt. 1.º Constituciones Romanorum Pontificum. 2.º Concilia omnia. 3.º Statuta firma et permanentia episcoporum in quacumque diœcesi. Et cum non rarè, sed potius frequentissimè adjunctis ac temporibus nostris, auctoritas Sanctorum Patrum spernatur, imò etiam allegatio doctorum et interpretum juris sacri; cum passim perversum rationis usum et philosophiæ lugeamus, nec non connatus polyticorum et prin-

cipum ut legitima jurisdictio, et libertas sanctæ catholicæ Ecclesiæ minuantur; cum istam ennixè quacumque et quomodocumque hæterodoxi frequentissimè impugnent, non erit abs re, in studiosæ juventutis obsequium, de his omnibus parè disserere, cum ecclesiastici Juris fontes ennumeremus. Igitur agetur insuper. 4.º De scriptis Sanctorum Patrum, eorumque in Jure ecclesiastico auctoritate et usu. 5.º De auctoritate et allegatione doctorum, et interpretum Juris sacri. 6.º De rationis et philosophiæ usu in Jure sacro. 7.º De constitutionibus principum eorumque jure circa sacra. 8.º De historia et critica tamquam necessariis adminiculis juris. Et omnia prænuntiata literaliter exscribemus ex libro subsidiario seu isagogico D. Zallinger *principia et fontes Juris ecclesiastici* exhibente. ❧

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE CONSTITUTIONIBUS ROMANORUM PONTIFICUM.

Non est mihi propositum hoc loco, summam auctoritatem romanorum pontificum ab innumeris vindicare criminationibus, quibus minuli scriptores ætatis nostræ adversus illam non scribunt, sed furunt et fremunt. Suscitant per me et bonos omnes, sopitas dudum lites; accusent ambitionem, occultasque fraudes aulæ romanæ, avaritiam romanæ curiæ; clament oppressam potestatem episcoporum, libertatem populorum, majestatem principum; exaggerent nationum gravamina; exprobrent Isidori Decretales; insurgant contra sacrum et divinum imperium, ejusque imperii partes singulas lacerent; obsistant inspectioni; obstrepant legibus; insaniant contra judicia; nitantur discindere corpus Christi, et membra a capite distrahere; contendantque modis omnibus, ne sacrosancta Jesu Christi Ecclesia una sit, ne sancta, ne catholica, ne apostolica. Ego verò, et boni omnes divina illa verba volvemus animo: "Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (Matth. XVI, 18)." Vetus hic furor est adversariorum Ecclesiæ, id est, hæreticorum, ut, cum in aliis ferè dogmatibus non minùs inter se, quàm a nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conveniant, ut totis viribus summaque animi contentione romani pontificis sedem oppugnent. Nulli fuerunt unquam hostes Christi, atque Ecclesiæ, qui simul cum hac sede bellum non gesserint (1). ❧

## § I.

## RATIO ANTEPONENDI HUNC TRACTATUM.

Cur de constitutionibus romanorum pontificum antè agam, quàm synodorum canones, tanquam canonici Juris fontem uberrimum, aperirem, causæ sunt hæ:

.. Antequam coirent, ac coire possent generalia concilia, complura emanarunt per orbem, vimque habuerunt apostolicæ sedis decreta; fuitque ea primorum Patrum ac fidelium certissima sententia, divinas et apostolicas traditiones, ac Scripturarum canonem rectumque sensum apud romanam Ecclesiam fidelissimè custodiri, et inveniri posse ab iis qui indè responsa peterent. "Cum in chartis ecclesiasticis, inquit Hieronymus, juvarem Damasum, romanæ urbis episcopum, et "Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem" (Hieronym. ep. 110, n. 91). Innocentius I, ad Patres concilii milevitani in hunc modum scribit:

(1) Eminentiss. Bellarminus in præfat. de romano pontifice.

"Diligenter et congruè apostolici consultis honoris arcana (honoris, inquam, illius quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum) super auxiliis rebus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quàm toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam, scientes, quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent" (Constant., col. 896). Eundem in modum loquitur Bonifacius I, "Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim fonte ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, manavit" (ib. col. 1037).

2. Canones particularium synodorum jus commune non faciunt, nisi ad hoc velut fastigium eleventur ab universali pastore; quæ autem ab episcopis per orbem dispersis, aut in conciliis œcumenicis congregatis definiuntur, aut decernuntur, vim et auctoritatem præcipuam a capite universæ Ecclesiæ habent; romani verò pontifices caput universæ Ecclesiæ et ipsi se professi, et omnibus locis ac temporibus agniti, cultique sunt. Unde Siricius ad Himmerium tarraconensem ad cuncta respondisse ait, *de quibus ad Romanam Ecclesiam, utpote caput tui corporis, retulisti* (1). Patres concilii aquileienseis de ambitione Ursini, qui Damasi P. locum usurpare moliebatur, ad imperatores Gratianum, Valentinianum ac Theodosium scripsere his verbis: "Totius orbis romani caput, atque illam sacrosanctam apostolicam fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuerat clementia vestra;" adduntque rationem: "Inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant (Constant. col. 554)." Jure etiam civili hæc dignitas supremi capituli promulgata est, ubi romanus pontifex *caput omnium sanctarum ecclesiarum* pronuntiatur, cujus sedi uniri hac subjeci omnes sacerdotes, etiam universi orientalis tractus; ad quem dubia fidei referri, et per quem discere oporteat episcopos sinceram doctrinam (2). ❧

## § II.

## VERBORUM QUORUMDAM DEFINITIONES.

Hactenus de præsentis argumento veluti præfatus, nunc aggrediar ad rem ipsam. *Constitutionis* vox ad illud genus legum adhibetur propriè, quæ a supremo principe communitatis sacræ vel profanæ emanant: *Canones* eduntur in conciliis; *decreta* fiunt cognita partiùm causa; *edicta* motu proprio promulgantur. *Rescripta* strictè referuntur ad illud genus litterarum apostolicarum, quibus pontifex supplicantium causa, aliquid fieri jubet. *Epistolæ decretales* ad præcedentem consultationem scripto remittuntur. *Dogmata vel constitutiones dogmaticæ* respiciunt fidem; *mandata* mores ac disciplinam: *interdicta* quidpiam fieri vetant: *Sanctiones* pœnam in transgressores statuunt, æque legibus omnibus fere annexæ sunt (3). ❧

## § III.

## EPISTOLARUM SPECIES

Aliæ non paucae litterarum apostolicarum denominationes petuntur vel a personis, ad quas missæ sunt, vel a causa, et argumento scriptionis, vel etiam a modo, quo emittuntur in orbem, ac:

(1) Constant. col. 637, adde epistolam Anastasii I, ibid. col. 723, et Bonifacii I, loco supra cit.

(2) L. 8, § Reddentes honorem, c. de summa trinitate.

(3) § 10 Instit. de rer. divis. loquendi usus in his omnibus valdè inconstans est.

*Familiares* dicuntur pontificum epistolæ, quæ ad viros pios, et doctos mittuntur solatii vel concilii petendi, aut benignitatis apostolicæ testificandæ causa. Talis est epistola X. B. Innocentii P. I. ad Aurelium Carthaginensium, et Augustinum Hipponensium episcopos data circa an. 406, salutatoria et plena charitatis (1). S. Leo P. I. de paschate celebrando Cyrillum alexandrinum et Paschasium Lilybæum consulit. Desideratur utraque Leonis epistola: exstat responsum Paschasini et fragmentum de responso Cyrilli (2). Hac occasione commemorandæ sunt *paschales* epistolæ, per quas dies celebrandi paschatis a pontifice romano maximè indicebatur (Synodus arelatensis I, an. 314).

*Tractoria* (epistolæ) verbum a jure civili ad usum ecclesiasticum videtur tractum (3). S. Augustinus tractoriam epistolam vocat, qua episcopi ad synodum vocabantur, quo significato etiam litteræ *synodales* dictæ sunt. Alio loco intelligit litteras per orbem missas, velut *encyclicas* super eorum nomine, qui de crimine convicti fuerunt, aut super criminibus objectis respondere pertinaciter detrectant (4). Quo sensu cælebris est tractoria Zosimi P. super damnatione Pelagii et Celestii omnibus ecclesiis inscripta. Ab his tractoriis vel tractatoriis non multum abluunt epistolæ *denuntiativæ*, quibus hæreticus vel infidelis quispiam denuntiabatur, uti Jovinianus et socii a Siricio P. denuntiati sunt (5).

Aliud genus pontificiarum litterarum sæpe exprimitur nomine *commonitorii* aut *regularum*, quæ prestitui solebant legatis ad synodum profecturis, aut synodis papæ nomine præsentibus, vicariis item apostolicis, aut legatis alia ex causa in provincias missis: quales litteræ hoc ævo *instructiones legatorum* vocantur, Celebre est commonitorium Gelassii P. inscriptum *Fausto Magistro fungenti legationis officio, Constantinopolim*. In concilio ephesino lecta fide nicæna et exposita causa Nestorii dictum ab omnibus episcopis: *Sanctissimi romani episcopi scripta legantur*. Ante damnationem verò Nestorii dixerunt Patres: "Coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi patris nostri et comministri Cælestini, romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde profusis ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessarii venimus. In concilio chalcedonensi, Act. I. Paschasinus, romanæ Ecclesiæ legatus, dixit: Beatissimi atque apostolici viri papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum episcopus non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus."

*Declarativa* dictæ sunt epistolæ, quæ insignem viri defuncti sanctitatem declarabant. Aliæ dictæ *clericales, diaconales, episcopales*, seu entronisticæ, quas initio pontificatus non tam pontifex M. ad universos episcopos, quam episcopi ad collegas suos, indeque ad ipsum pontificem M. mittebant, ut qua par erat, submissione agnoscerent eundem, ac revererentur. S. Cyprianus ad S. Cornelium P., accepto de ejus electione certo nuntio, scribit: "Placuit per episcopos, ut per omnes omninò isthinc positos (episcopos Africæ) litteræ fierent, sicut fiunt, ut te univer-

(1) Constant. col. 807. Apud Dionysium exiguum hæc epistola est decretum Innocentii octavum et trigessimum.

(2) T. I. Op. S. Leonis edit. Ballerin. ep. 3.

(3) Confer. paratitlon et commentarium Gothofredi in tit. 6, de tractoriis et stativis. l. VIII, cod. Theodos, idem titulus exstat in cod. Just. l. 12, tit. 52.

(4) S. Augustinus, Ep. 43, n. 8 et 9. Serm. 2, in psal. 36, n. 19; epist. 217 et I post collationem contra Donatistas, c. 24, n. 41.

(5) Ep. VI. Siricii apud Constant col. 663.

"si collegæ nostri, et communicationem tuam, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem probarem firmiter, ac tenerent (1)."

## § IV.

## DE CONSTITUTIONIBUS PONTIFICIIS VENERATIONE DEBITA.

In tam vario litterarum pontificiarum genere distinguendæ in primis sunt constitutiones *generales*, quæ regendam universam Ecclesiam diriguntur, tum circa dogmata fidei, tum circa disciplinam ecclesiasticam et mores fidelium; et *speciales*, seu rescripta strictè dicta. Ad has referuntur, quæ a romano pontifice statuuntur vel in concilio provinciali, vel pro suis ditionibus in Italia; id quod velle præsumitur, si decretum edat lingua italica conceptum. Nam ut in J. P. E. (2) § 353, animadverti, Romanus Pontifex considerandus est ut caput Ecclesiæ universalis et pastor pastorum, ut Patriarcha totius Occidentis, ut Primas Italiæ, ut metropolita romanæ provinciæ, ut Episcopus diæceseos romanæ, ut Princeps temporali gaudens dominio, quia superior dignitas inferiorem non supprimit, sed ornat, et elevat. Quovis autem harum dignitatum munere constitutiones edere, aut rescripta dare potest Romanus Pontifex.

De constitutionibus generalibus, qualia sunt decreta et decretales epistolæ, generatim atque ex sensu venerandæ antiquitatis statuendum, "eas venerabiliter suscipi, summoque in pretio haberi debere, tamquam ipsius divina Petri voce firmatas (Can. 2, dist. 19)," homini catholico salutisque suæ studioso id persuasissimum est ex ipso primatu divinitus instituto.

Quantam autem vim epistolis decretalibus pontificum inesse agnoverit antiquitas, ipsa indicat vox *auctoritatis*, qua illas epistolas denotabant. Acta synodi Palæstinæ, quæ tempore Victoris P. celebrata est, sic incipiunt. "Papa Victor romanæ urbis episcopus, direxit auctoritatem ad Theophilum cæsariensem.... Cum multitudo illa convenit, Theophilus episcopus protulit auctoritatem ad se missam Papæ Victoris." Teste Constantio, in pervetusta canonum collectione non alio, quam *auctoritatis* nomine inscribuntur epistolæ decretales; *auctoritas Siricii ad Himmerium, auctoritas Innocentii ad Victricium*. P. Zosimus in epistola I, ad episcopos Galliæ, cum præscripsisset, ut, qui Romam aut alio e Gallia veniunt formatas accipiant a metropolitano arelatensi, addit: "Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat id quod statuimus omnimodis esse servandum." Eadem voce et vocis significatione utitur Bonifacius I, in epist. ad Rufum et Macedonas; S. Leo epist. 159, Ball. edit. Nec Tertullianum, cum l. de præscript. c. 36, de romana Ecclesia ait: *Unde nobis quoque auctoritas præstò est*, aliud significasse puto quam decreta illius Ecclesiæ etiam in Africam deferri. Icti enim auctoritatis voce aliud non denotabant quam jussa superiorum et edicta publicè proposita (3).

## § V.

## DE VETERUM DECRETALIUM STYLO.

Ut præter venerationis sensa erga decretales epistolas, simul ideam de veterum illarum stylo informes animo, animadvertite, solitos esse primorum temporum pon-

(1) Ita nimirum ex mente S. Cypriani, totiusque ecclesiasticæ antiquitatis, in communionem esse apostolicæ sedis perindè est, ac communicare cum universa, seu catholica Ecclesia.

(2) Initialibus his litteris titulum libri designatur nempe, juris publici Ecclesiæ, D. Zaillinger quod infra præsens sæpissimè habendum.

(3) Vicat in vocabulario J. U. verbo, Auctoritas.

tifices, vitæ sanctitate omnique doctrina illustres maximam obedientiam subjectionemque erga decretales suas exigere, easque tanquam Petri potestate constitutas, additis gravissimis sanctionibus, commutare.

Testis minimè suspectus est Tertullianus montanistarum lue jam infectus, et contra edictum apostolicæ sedis sentiens. Is in libro de pudicitia, seu potius adversus reconciliationem penitentium propè initium ita scribit: "Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium; pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: ego et mœchiæ et fornicationis delicta penitentia functionis dimitto." Quibus verbis Tertullianus ex stylo jurisconsultorum, quorum ipse in numero fuit, *peremptorium* vocat edictum, ita conceptum, ut *perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur adversarium tergiversari*, l. 70, D. de judiciis; satisque indicat, pontificem romanum vi et titulo supremæ potestatis coegisse alios, ut exemplum romanæ Ecclesiæ sequerentur, et delictorum, quæ nominat, penitentia functos reconciliarent, atque ad sacra admitterent mysteria (1).

Quanta auctoritatis vi Victor P. I. Polycratem Ephesiorum episcopum et provinciæ asianæ metropolitam aggressus sit, ut in celebrando paschate romanæ et universæ Ecclesiæ disciplinam sequeretur, diximus in appendice historica lib. II, et facilè ex responso Polycratis colligitur, in quo ait: "Nihil moveor iis quæ ad terrorem intentantur (apud Const., col. 99)."

Firmilianus Cappadociæ episcopus intemperante sanè epistola, quæ est 75 inter epistolas Cypriani, satis indicat Stephanum papam, a quo dissentiebat, in decreto de baptismo hæreticorum ad summam auctoritatem D. Petro concessam, atque ad se jure successionis devolutam provocasse; undè Firmilianus justè indignari Stephano se aiebat, quod, "qui sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, et ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum "esse illic baptismum sua auctoritate defendit." Qua in re, cum a cathedra Petri dissentiret Firmilianus cum consortibus litis, non potuit non errare, quasi, qui baptismum ritè administratum ab hæreticis probaret validum, sectam hæreticorum ob eam causam comprobaret ut veram.

## § VI.

## SANCTIONUM FORMULÆ.

Addam nonnullas sanctionum formulas, quas decretis suis pro summa et universali potestate ad episcopos et metropolitanos missis annexerunt antiquissimi et sanctissimi pontifices.

1. Ex epist. S. Siricii P. ad Himmerium Tarrac. an. 385. "Scituri posthac omnium provinciarum summi antistites, quod si ultra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderent assumendum et de suo et de suorum statu, quos con-

(1) Tertulliani verbis designari romanum pontificem, ac versimiliter Zephyrinum, sentiunt viri eruditissimi plerique omnes, præsertim cum eundem, quem impugnat, apostolicum nominet, c. 21, ejusdem libri; qua voce simpliciter a veteribus denominatum fuisse præsulè apostolicæ sedis, constat. Quæ hoc eodem c. 21, de Ecclesia Petri propinqua Tertullianus profert, de Ecclesiæ tempore, non loco propinqua Petri videntur intelligenda; quia verba Christi, "super hanc petram" ita explicat, et personæ Petri applicat, quasi cum persona Petri potestas ibi concessa exspirarit. Conf. d'Antifebronio di Francescant. Zaccaria t. 3, p. II, l. II, c. I, n. IV.

tra canones et interdicta nostra provexerint, congruam ab apostolicâ sede, promendam esse sententiam." Has minas ad metropolitanos, *provinciarum summos antistites* esse directas, vix dubium est.

2. Ex epist. S. Zosimi P. ad episcopum salonitanum et vicinos fratres data an. 418. "Sciet quisquis hoc, postposita patrum et apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit, a nobis districtius vindicandum, ut sui loci minimè dubitet, sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impunè tentari: contumeliæ enim studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur."

3. Ex epist. S. Cœlestini P. ad universos episcopos per Apuliam et Calabriam constitutos data: "Quisquis verò conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram sedis apostolicæ minimè defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus."

4. Ex epist. 4, alias 3, S. Leonis P. M. ad episcopos per Campaniam et universas provincias constitutos data, an. 443. "Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod, si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ."

Dicent fortasse adversarii pontificiæ auctoritatis: In hunc modum scripsisse romanos pontifices *in causa scilicet propria*. R. 1. Non in causa propria ita scripserunt egeruntque romani pontifices, sed in causa Christi, a quo vicarii constituti sunt; in causa Ecclesiæ, cui summa cum potestate præpositi sunt, in causa divinæ religionis, cujus præcipui depositarii sunt; in causa ovium de quarum salute rationem se reddituros æterno judici norunt: nec ipsi magis de suprema sua potestate, quam sacræ Scripturæ, et traditiones, et Patres, concilia, et doctores Ecclesiæ ita sentiunt, præcipiuntque. R. 2. Si hæc exceptio: *in causa propria*, hoc loco valet, eandem objectari semper poterit et judici qui contumacem aut petulantem litigantem; parenti, qui immorigerum filium; principi, qui rebellem subditum compescit auctoritate sua; denique pastori; qui gregem continet luposque abigit. Imò si quis se, vitamque, et fortunas suas, si honorem, si auctoritatis, vel juris sui quamlibet partem defendit contra iniquos invasores, repelli poterit hac exceptione: *In propria causa*. R. 3. Viri sanctissimi, et cœlesti pleni sapientia, ambitionis nota, fastusque suspicione aspergi non possunt sine impudente calumnia; pro certo tenendum, eos ita locutos et perpetua quidem concessione, atque ita actitasse tanquam conscios memoresque gravissimi officii divinitus impositi, atque sollicitos de salute Ecclesiæ et animarum, de quibus rationem reddiduri erant divino judici.

Non sola reverentia ac simplex subjectio impendenda est pontificiis constitutionibus, sed recta quoque interpretatio, et attentio, ut et materia illarum expendatur, et ratio ac modus quo eam pertractant. Nam pontificiæ constitutiones in eoduntaxat sensu atque intra illos limites auctoritatem obtinent, intra quos constringuntur ex mente ipsorummet pontificum. Rectè monet Petrus Ballerinius in præclarissimo opere de vi ac ratione primatus RR. PP. "illud apud non paucos præjudicium obtinet, quo omnia pontificum dicta vel scripta tanquam fidei definitiones, existimant, nec cogitant se hac ratione ipsis pontificibus, dum favere nimium volunt, obesse plurimum, adversariisque pontificiæ inerrantiæ plurimum objectorum occasionem præbere (c. XV, § 10)." Ut *definitionem fidei* edere censeatur Romanus Pontifex opus est, *primò*, ut tres ipsa quæ definitur, tanquam ad fidem aut Jus divinum pertinens attingatur; *secundò*, ut præcipiatur, aliquid credendum, aut tenendum tanquam ad fidem aut Jus divinum pertinens, vel reprobandum tanquam errorem fidei aut Juri divino repugnantem. Hoc præceptum ita exprimi so-

let, ut ii qui aliter sentiunt, a catholica vel romana fide abesse, aut ab Ecclesie romanæ communionem et unitate separati declarentur, anathemate percillantur; aut ut propositiones damnatæ hæreseos aut aliis æquivalentibus censuris inurantur (1).

## § VII.

## DE VI ROMANI PONTIFICIS CONSTITUTIONUM.

Si quo, ut dictum est, modo quidpiam definit romanus pontifex, *ex cathedra* loqui dicitur a scholasticis, nempè tanquam publicus doctor et supremus legislator Ecclesie, ut unitas fidei servetur, et ut ex præcepto Christi Petro imposito fratres confirmantur in fide. *Cathedra* appellatio præcipuè desumpta est ex verbis Christi, Matth. XXIII, 2. Ubi Moysis cathedra, non utique materialis, sed nempè doctrina legis, et potestas atque officium legem explicandi memoratur. Cathedræ romanæ vel apostolicæ vocabulum latius sumptum omnem denotat auctoritatem apostolicam, ex divino primatu manantem, primario tamen ad fidei doctrinam circa veritates theoreticas vel regulas practicas significandam a Patribus adhibitum est, ut Ballerinius, cit. op. de primatu ostendit c. XIII, n. 35. Auctor principiorum J. P. eccl. c. V, § 5, ait: Pontifex "agit doctorem privatum, quoties nec ut "judex procedit, nec ut legislator," et annotat: "Hanc explicationem puto clario-  
"rem esse phrasi illa metaphorica scholasticorum; cum non loquitur ex cathedra." Inepte! ac imprimis non scholasticis tantum, sed antiquissimis Patribus usitatissima est cathedræ romanæ vel apostolicæ vox, ut ostendit Ballerinius, loc. mox cit. Dein privato doctori auctor opponit pontificem ex cathedra loquentem. Privatus doctor censetur, si nec ut judex procedit, nec ut legislator: ergo secundum dialecticas regulas ex cathedra loqui censebitur ab auctore si vel ut judex procedit, vel ut legislator: atqui id falsum omnino est, sæpè enim pontifex iudicis vel legislatoris munere fungitur in causis meri facti, vel ad fidem aut jus divinum minime pertinentibus; nec tamen continuo ex cathedra loqui existimatur a peritis rerum theologiarum.

Idem auctor princip. c. V. quo de summorum pontificum decretis agit, § XXXVIII. "Demus, inquit, censuras papales absque generali concilio, non "esse iudicium ultimum; demus provocatum fuisse ad universalem synodum; nihil tamen minus reverentia illis et obsequium interim debetur, tanquam decretis provisionalibus, honestis, imò ad præcavenda animarum pericula necessariis, "medioque tempore abstinendum erit ab ulteriore disseminatione dogmatis confixi "quam plerumque subsequitur seditio." Non est hic locus agendi de vi et infallibilitate pontificiarum decisionum, sed antiquitatis ecclesiasticæ studiosus explorata habet sequentia. 1. Semper in Ecclesia agnita fuit *necessitas*, in doctrina fidei et divini Juris sentiendi et consentiendi cum cathedra Petri. Amplissimam traditionem hujus necessitatis palam fecit Ballerinius toto opere de vi et ratione primatus RR. PP. 2. Editis ab apostolica sede decretis, quæ formalem expositionem fidei et divini Juris præ se ferebant, controversiæ in Ecclesia censebantur *terminatæ*; id quod in Antifebronio a V. C. Zaccaria t. III, l. 1, c. 3, multis exemplis ostenditur. Vox et significatio decreti *provisionalis* est nova et multis sæculis in Ecclesia inaudita. 3. Si post definitionem pontificiam lis eadem in conciliis

(1) Hujus generis sunt tum antiquæ definitiones Innocentii I, contra Pelagianos, Cælestini I, contra Nestorium, Leonis I, contra Eutychem, Agathonis I, contra monothelitas, etc. Innocentii X, in constit. de quinque propositionibus ex libro Jansenii excerptis.

agitata et examinata fuit, distingui oportet cum episcopis Gallie *examen* quoddam *instructionis, conformationis et simplicis adhesionis*; quale etiam post conciliares definitiones aut consensum totius orbis extra concilium habuit locum, ab *examine juridico, seu auctoritatis*. 4. Si homines hæretici, et turbulenti definitionibus pontificiis non acquieverunt, cogitandum, eos nec generalium synodorum definitionibus acquievissent. Manserunt post concilium nicænum ariani; post constantinopolitanum macedoniani; post ephesinum nestoriani; post chalcedonense Euty-chiani, et ita porro. 5. Auctor princip. cit. c. V, § VIII, ait, de infallibilitate romani pontificis *merito* dubitari posse in iis causis quæ duplicem involvunt questionem, nempè juris et facti; qualis est canonizatio sanctorum; *eum quæstio facti prudentissimos latere queat*. Sed respondendum est cum Benedicto XIV, l. I, c. XLIII, n. 1, "de servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione," id ipsum dici posse de "canonizationibus factis in conciliis generalibus, legitime con-  
"gregatis: infallibilitatem propterea, quam denegant Romano Pontifici in canoniza-  
"tionibus, denegare quoque coguntur generalibus conciliis."

De censuris propositionum et *qualificatione* doctrinæ, a summis pontificibus reprobata, egi in jure E. P., c. VII, § 375. In Decretalibus multæ agitantur quæstiones ad fidem et jus divinum pertinentes; sed animadvertendum, quod Bellarminus scripsit: "Multa esse in epistolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam "esse de fide; sed solum opiniones pontificum ea in re nobis declarant (l. 4 de rom. "pontif. c. 14)." Idem monet Melchior Canus: "Respondent sæpè pontifices, "inquiens, ad privatas hujus aut illius episcopi quæstiones, suam opinionem de re-  
"bus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse ve-  
"lint ad credendum (l. 6, de locis theol. c. 8 ad 8)." Nempè ex quo summi pontifices ad Petri sedem promoti sunt, sicut non exuerunt humanam naturam; ita neque humanam agendi opinandique rationem deposuerunt. Sæpè pro more scholasticorum rationes *dubitandi* sequituræ decisioni contrarias, præmittunt; quæ utique vim probandi non habent, ac ne menti quidem et sententiæ ipsorum pontificum conformes sunt. Singularem divini Spiritus assistentiam ex Christi promissum demum iisdem attribuimus, quando, ut dictum et explicatum supra est, de fide et divino jure ex cathedra loquuntur. Aliis apostolicis scriptis et decretis summam quidem observantiam exhibemus pro summa scribentium dignitate et auctoritate; at non continuò in numero dogmaticarum et immutabilium definitionem ea habemus, quod nec ipsi desiderant ullo pacto.

## ARTICULUS II.

## DE CONCILIIS.

Conventus plurium in unam de re quadam deliberandi causa, *concilium* dici potest. Concilia autem ecclesiastica sunt legitimi conventus catholicorum antistitum, de causis fidei, unitatis et disciplinæ coacti. Non quivis ergo episcoporum congressus, concilium est; sed spectari in eo debet *finis*, deinde *forma*, quæ ex principiis hierarchiæ pendet tum in convocazione, tum in celebratione, denique in conclusione seu confirmatione, ut *legitimus* habeatur conventus. Hierarchia Ecclesie ordinatum corpus exhibet et caput requirit membris præpositum, quale